

rotunda apparent quædam? Cur, ut ignes nostri micant. Cur, ut ignes nostri lumen, de se propagant? Cur ut ignes nostri, cum lumine calorem proferunt? Profecto, hæc septem sunt experimenta eorum quæ apud nos in igne, et ab igne videmus fieri. Sentimus etiam, hæc omnia in astris esse. Sumamus igitur suo monitu, simile in illis, ex his quæ apud non fiunt. Septem hæc similia, in astris, et in nostris ignibus, conspiciamus. Cur ergo, vel ignes non sint astra, vel astra non sint ignes? His septem alia addantur quinque, mobilitas summa, quæ in utrisque conspicitur; tenuitas, acuties, penetratio, raritas. Quid enim perniciosius astris? Quid velocius igne? Quid tenuius, quid acutius, quid penetrantius, quid rarius, nostra flamma? Quid item mobilius, vel tenuius, vel acutius, vel penetrantius, vel rarius radiis. Qui astrorum, vel proles sunt proxima, et simillima, vel etiam astra sunt in longum protensa. Hisce omnibus similibus, ita nos inferimus; vel astra sunt ignes, vel ignes sunt astra, vel utrumque, vel neutrum, vel et neutrum, et utrumque. Utrumque sane, similibus illis omnibus. Neutrum vero, quia cœlestis ille, purus est ignis, et sincerus, et immaterialis, et immortalis, et divini, et intelligibilis ignis, proximior imago. Nostri vero, materiales sunt ignes, et impuri, et corruptibiles. Et quod sunt illius sunt participatione. Cum igitur tria sunt, ignium genera, summus, ac primus est divinus, et idealis. Eius simulacrum est ignis cœlestis. Noster vero huius participatio; recte hos nostros cum cœlestibus, et idem esse, et non idem, et neutrum, et utrumque affirmare vere licebit. Astra igitur ignes sunt, vere, sed inter divinum, et nostrum, medii. Nam et lucent sicut nostri. Color quoque illorum similis est nostro in varia materia accenso. Figura quoque eadem apparent. Nam si hic flammam eminus cernamus, tametsi recta sursum tendat, radiata tamen sicuti stella cernitur; et utrumque hi radii rotunditatem in summo ostendat quandam. Et hic noster radiatus ita micat, sicuti et illa. Procul ergo omni dubio, astra, ignes sunt. At quales ignes? Tria enim, et Plato, et Aristoteles, et Theophrastus ignium apud nos genera esse docuerunt. Anthraca accensum, flammam, ac tertium φωϛ. Quæ vox, et lucem, et lumen dicit. Quos supra nominavimus Græcorum philosophi veteres, qui astra ignes esse dixerunt, hac in te non una fuere sententia. Thales namque γεώδη μὲν, ἔμπυρα δὲ, τὰ ἄστρα. Terrea quidem, sed ignita esse dixit. Simile quid et diversum, Anaxagoras pronunciavit, cœli scilicet vertigine, raptos de terra lapides, et accensos, esse facta astra. Diogenes pumices inflammatos esse astra credidit. Archelaus laminas ferreas cadentes, ea esse asseruit. Xenophanes vero altius nescio quid cogitavit, esse ea nubes inflammatas, quæ interdiu extinguantur, noctu reaccendantur. Anaximander vero compages æris globosas atque accensas. Parmenides, et Heraclitus, compages ignis; sed qualis ignis authracis ne, an flammæ in quæstione reliquere. Quod et Plato fecit. Et ante omnes ipse Zoroaster. Nos igitur id, si queamus, pervestigemus. Si solidum, ac densum aliquod ibi corpus sit, quod accendi, aut igniti possit, forte, antraces accensi astra fuerint. Si tale sit, vel terreum erit, vel mistum ex elementis aliquot corpus erit. At hæc omnia, sui natura quiescunt, et loco suo non moventur nisi præter naturam sunt disposita, et deorsum semper tendunt; supera numquam petunt. Et si quando petunt. Quod et Anaxagoras, vertigine attractos lapides esse censuit. At vertigo hæc cœli, cur est hodie, et ante hunc diem, per tot sæcula similes lapides, et pumices, et laminas ferreas non rapuit, nec rapit? Non est ergo horum quicquam, quod in cœlo potuit, aut possit sidus fieri. At potest ne aliquid densum in cœlo, aut ab initio fuisse, aut etiam nunc esse? Videtur potuisse et posse. Luna enim ibi est, terreum quid sapit. Sunt ibi veterum observatione, stellæ nebulosæ quinque, obscuræ novem, quæ eandem cum luna videntur habere naturam. Sunt Neotericorum observata, versus antarcticum, et maculæ quædam in cœlo nigræ, et nubeculæ ad nigredinem vergentes. Sed quia et hæc ad Lunæ naturam accedere videntur, cum de ea nobis sermo erit institutus, eas quoque contemplabimur. Lucentia astra speculemur. Necesse est ea, postquam ignes sunt, genus aliquod ignis esse, vel antraca, vel flammam, vel φωϛ, lucem. Antraces si sunt, densum quidam sunt, et solidum. Si id sint, duo contraria in cœlo erunt rarum, et molle ipsum cœlum, densa, et dura ipsa sidera. Hæc densitas, hæc durities, unde eis venit, unde in ætherem sunt ingressæ? A